Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8381
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

sua conspicit. Sed in natura omnino in-
deri quos immensum minor in-
quisitionis subtilitas deficit.
Neque enim illi simplici et incom-
mutabili essentie aliud est cla-
ritas aliud natura. sed ipsa ei
natura sua claritas. ipsa cla-
ritas natura est. Quam etenim
suis dilectoribus hec dei sapi-
entia se quandoque ostendet in se polli-
cetur dicens. Qui diligit me
diligetur a patre meo et ego
diligam eum et manifestabo
ei me ipsum. Ac si patenter di-
cat. Qui in natura me cernitis
restat ut in mea me natura
videatis. Hinc rursum ait. Beati
mundo corde quoniam ipsi deum
videbunt. Hinc paulus ait.
Nunc videmus per speculum in enig-
mate. tunc autem facie ad faci-
em. nunc cognosco ex parte. tunc
autem cognoscam sicut et cognitus sum.
Sed quia de deo per primum ecclesie
predicatorem dicitur in quem deside-
rant angeli prospicere. sunt nonnulli
qui nequaquam deum videre vel an-
gelos suspicantur et tamen dictum per
veritatis sententiam scimus. an-
geli eorum semper in celis faciem
videt patris mei qui in celis est.
Numquid ergo aliud veritas aliud
predicator insinuat veritatis.
Sed si summa utraque confertur quia sibi
nequaquam discordet agnoscitur.
Deum quippe angeli et vident et
videre desiderant et intueri siti-
unt et intuentur. Si enim sic vi-
dere desiderant ut effectum desideri

sui minime percipiant desiderium
sine fructu anxietatem habet
et anxietas penam. Beati vero
angeli ab omni pena anxie-
tatis longe sunt quia numquam simul
pena et beatitudo conveniunt. Rur-
sum cum eos dominus dicimus de
visione saciari quia et psalmista
ait. Saciabor dum manifestabitur
gloria tua. considerandum nobis est
quoniam saciatatem solet fastidium
subsequi. Ut ergo sibi utraque recte
conveniat dicat veritas quia semper
vident. vidit dicat predicator
veritatis quia semper videre desiderant.
Ne enim in desiderio sit anxietas
desiderantes saciantur. Ne autem
sit in saciatate fastidium saciati
desiderant. Et desiderant igitur sine
labore quia desiderium saciatas
comitatur. et saciantur sine fastidio
quia ipsa saciatas ex desiderio semper
accenditur. Sic quoque et nos
erimus cum ad ipsum fontem vite
venerimus. Erit enim nobis delecta-
biliter impressa sitis simul atque sacie-
tas. sed longe abest a siti ne-
cessitas. longe a saciatate fasti-
dium. quia et sicientes saciabimur
et saciati sitiemus. Videbimus igitur
deum ipsum quoque erit premium laboris
nostri ut post mortalitatis huius te-
nebras accensa eius luce gau-
deamus. In libro Iob xxv.
Et in capitulo xxiiii

Dum de credulitate iu-
daici populi tractaretur ad-
ductum est. Est locus apud
me et stabis supra petram
cumque pertransibit gloria mea ponam

Est locus penes me super petram et ibi stabis